



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA ***SANCTISSIMI SALVATORIS***

***MARIANOPOLITANAEE*** EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS GRAECIS MELKITIS

CATHOLICIS IN CANADA COMMORANTIBUS AD GRADUM ET DIGNITATEM

EPARCHIAE SEDI APOSTOLICAE IMMEDIATE UBIECTAE PROVEHITUR,

TITULO SANCTISSIMI SALVATORIS MARIANOPOLITANAEE APPELLANDAE Beati Petri

Successores nullum relinquere solemus intentatum consilium quo populi Dei portionibus ad pleniorum maturitatem prosperitatemque contendentibus valide subveniatur ac provide consulatur.

Cum ergo Exarchatus Apostolicus pro fidelibus Graecis Melkitis catholicis in Canada commorantibus haud parva suscepere incrementa iamque in condicionibus versetur ut ad eparchiae gradum extollatur, duximus diutius non esse differendam eiusdem Exarchatus elevationem in eparchiam. Quam ob rem, suffragante Pro-Nuntio Apostolico una cum Conferentia Episcopali eiusdem Nationis, annuentes precibus Patriarchae Graecorum Melkitarum Catholicorum atque audita sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum negotiis sacrae Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus praepositorum, Nos, suprema Nostra usi potestate, Exarchatum Apostolicum pro fidelibus Graecis Melkitis catholicis in Canada commorantibus ad gradum dignitatemque eparchiae Sedi Apostolicae immediate subiectae provehimus, titulo *Sanctissimi Salvatoris Marianopolitanae* appellandae, additis iuribus obligationibusque novae iuridicae condicioni adnexit. Ad alia quod attinet : nempe eparchiae administrationem, cleri et populi singula iura atque onera sicque porro, ius Orientale perquam diligenter observetur, eis praesertim consideratis quae edicuntur Litteris Apostolicis « Cleri sanctitati » die secundo mensis Iunii anno MCMLVII datis et quidem canonibus a 392 ad 526. Contrariis minime obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

LADISLAUS Card. RUBIN

*S. Congr. pro Eccl. Orient. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s. n.*

\*A.A.S., vol. LXXVII (1985), n. 2, pp. 105-106

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana